

de solusione in grobne in Ober Bayffz Langu
gutteque Max Rossm
QK.178.

A D

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
VIRI PERILLVSTRIS
DOMINI
RVDOLPHI FERDINANDI
LIBERI BARONIS
DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV
HAEREDITARII IN KLEIN - EILA CRASCHEN
PAVSEN DAVBER BVCHWALDE ET BARG
D. XVII. APR. A. R. S. CICIOCCCLIV
HOR. X. ANTEMER.
IN AVDITORIO IVRISCONSULTORVM
CELEBRANDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQVE REIPVBLCIAE PROCERES
GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES
PER OFFICIOSE INVITANT
TRIVM SVPERIORVM FACVLATATVM
DECANI, SENIORES, RELIQVIQE ASSESSORES



A
B
C
D
E
F
G
H
I
J
K
L
M
N
O
P
Q
R
S
T
U
V
W
X
Y
Z



Dum pia Viri perillustris ac generosissimi, Domini RUDOLPHI FERDINANDI, liberi Baronis de SILVERSTEIN et PILNICKAV, renouanda est memoria, in mentem venit elegans quaestio, neque minus digna, cuius resolutionem praesens scriptio complectatur. Finge, testatorem alicui alimenta, annuatim, stato tempore, numismatibus *probis* ac *maioribus*, in circulo Saxoniae Superioris *validis*, *in guten groben im Ober-Saechsischen Creise gueltigen Muntz-Sorten*, soluenda, ante hos septem annos legasse. Legatarius propugnare studet, ad minimum thaleri besses et trientes, ad modum Lipsensem cudos, aliosue illis pene similes nummos argenteos, *halbe und viertel Kayser-Thaler, Chur-Saechsische, Brandenburgische und Lueneburgische* $\frac{1}{2}$ *und* $\frac{1}{4}$ *tel Stücken*,

A 2

Fran-

IV

Franzoesische gantze und halbe Gulden, deberi, ea
 propter aureos Gallorum, Borussorum, Hispano-
 rum, Brunsvicensium, *Louis d'or*, *Fridrich d'or*,
Spanische und Braunschweigische Pistolettten, secun-
 dum vsualem quinque thalerorum valorem, accipe-
 re detrectans. Quod iure fieri propitio, negamus.
 Oppido notandum est, neutquam de moneta, se-
 cundum conuentionem Saxonico-Brandenburgico-
 Lüneburgicam, Lipsiae anno 1690. initam, et a
 THOMANO ab HAGELSTEIN *Act. Monet. P. II. p.*
 365. adductam, exarata, sed de moneta, quae in
 circulo Saxoniae Superioris valet et in vsu est, ser-
 monem esse. Neminem fugit, sed constat inter
 omnes, nummos istos aureos in terris circuli Saxo-
 nici, ad minimum secundum valorem extrinsecum
 quinque thalerorum, multis abhinc annis, pluri-
 busque septem, accipi et expendi. Immo extant
 leges Saxonicae Regio-Electorales, valorem et
 vsulum istum concedentes et adprobantes. Quae eo
 maioris sunt momenti, quo magis ad Electorem
 Saxoniae, vtpote Directorem circuli Saxoniae Su-
 perioris, cura rei monetariae pertinet. BILDER-
 BECK *Teutsch. Reichs-Staat. C. III. §. 15. p. 54.* et
 §. 22. p. 63. edit. Glafeyan. In edicto monetali qui-
 dem de dat. Warsawiae d. 9. Jul. 1732. §. VIII. adie-
 ctaque specificatione sub C. aurei Hungarici 2. thal.
 16. gr. nec non Gallici, ac Hispanici, saltem 4. thal.
 16. gr. sunt aestimati, ita, vt nemo cogi posset, ad
 maius

maiis eorum pretium agnoscendum, sed libero cuiusvis permissum esset arbitrio, eos, secundum valorem in commerciis visitatum, accipere, aut non accipere. Verum tamen mandatum d. dat. *Dresd.* d. 3. *Mart.* 1733. §. IV. aestimationem vsu receptam, ducatorum ad 2. *thal.* 18. *gr.* nec non solidorum Gallicorum, pariter ac Hispanicorum, ad 5. *thaler-*
ros extensam, adprobauit, ibi: So koennen wir zu Erleichterung derer Commercianten geschehen lassen, dass die Ducaten a 2. tb. 18. gr. die Louis d'or und Spanischen Pistolen vor 5. thaler, hoher aber nicht, angenommen und ausgegeben werden. Etsi valor iste in aerariis Regio-Electoralibus tum nondum obtineret: postea tamen, quoad solidos Gallorum, mandato de dat. *Dresd.* d. 7. *Septbr.* 1735. in solutione nonnullorum onerum, certorumque reddituum Regio-Electoralium, admissus est, quemadmodum annis insequentibus plus vice simplici, editis de dat. *Dresd.* d. 2. *Mart.* 1736. et d. 9. *Ian.* 1737. adprobatur, tantumque illius ampliatio prohibetur. Similes aureos Hispanorum, vt et Borussorum, ac Brunsvicensium, interea cufos, eundem in commerciis valorem habere, vsus testatur quotidianus, qui nulla indiget probatione. Sicque certo est certius, enumerata numismata, secundum aestimationem istam vsualem, esse gute im Ober-Saechsischen Creise gültige Muntz-Sorten. Porro demonstrabimus, appellationem, der groben Mintze, iisdem conuenire.

VI

nire. Vnusquisque nouit, omnes monetae species, vel ad minores, kleine oder scheide-*Muntze*, vel ad maiores, grobe *Muntze*, referri. Nummos aureos ad minores non pertinere, est in aprico. Inde ad maiores ut referantur, oportet. Non obiicias, nos principii committere petitionem, potius numismata generatim in *aurea*, et *argentea* distinguenda, quaeque posterioris sunt generis, in *maiora*, ac *minora* subdiuidenda esse, nomen der *groben* vero, vti *der kleinen vnd scheide-Muntze*, ad *aurea* non pertinere. Nam haec philosophia legibus Imperii pariter, ac Saxonice, grauiter adversatur. In recessibus Imperii de ann. 1576. §. 75. et d. ann. 1594. §. 104. expressa fit mentio *derer groben silbernen vnd guldernen Reichs-Sorten*. Pari ratione in editis monetalibus Electoris Saxonie d. 8. Febr. 1. Iun. et 22. Decbr. 1620. Cod. August. T. II. p. 765. 768. 770. valor *derer groben Muntz-Sorten*, nimirum *derer Rosenobel*, *Ducaten*, *Rheinischen Gold-Gulden*, *Franzoesischer Sonnen- und Pistolett-Cronen*, perinde, ac *derer Reichsthaler*, *Philippsthaler*, *Reichs-Gulden-thaler*; cet. secundum decre-
tum statuum circularium recensetur. Quin editum Regio-Electorale Saxonicum, cuius inscriptio, wieder die Ausfuhrung *derer guten groben gold- und silbernen Muntzen*, auch Einbringung schlechten und geringhaltigen Geldes, audit, adhuc d. 4. Nou. 1738. in publicum est emissum. In quibus legibus omni-

omnibus ac singulis verborum series tam clara est, quam quod clarissima, primo aureos nummos, deinde nonnullos de argenteis, ad *maiora* referens numismata, ita, ut frustra sit, qui praedicatum *grobe*, cui duae species, *derer goldenen*, *und silbernen* *Geld-Sorten*, subiectae sunt, ad vnicam, *derer silbernen*, restringere velit, siue immediate vox, *silbernen*, ut in allegatis recessibus Imperii factum, siue verbum, *goldenen*, et postea demum vox, *silbernen*, qualis modus loquendi in legibus occurrit Saxonis, praedicato, *groben*, subiiciatur. Sunt igitur aurei indistincte *maioris* species monetae. Quod ad argentea attinet numismata, non nulla ob exiguum valorem, vna cum aeneis, quae in aliquibus usurpantur regionibus, classem numerorum *minorum* constituunt separatam. De quibus aliquid annotasse iuuabit. Quum olim Saxonia auri laborauerit penuria, sed argento abundans, ad celerem commerciorum usum promouendum, apud mercatores Lipsienses inualuit consuetudo, vi cuius in negotiis cambialibus, si solutio secundum cursum cambiorum, *in Wechsel- oder Current-Geld*, vel simpliciter, non descriptis numismatum speciebus, missa esset, creditor, quinta, vel quarta summae parte in grossis accepta, praetendere potuit, ut reliquum debiti thaleri bessibus, vel trientibus, Saxonico-Electoralibus, *in Churfürstischen ½. und ¾. Stücken*, solueretur. Solutis

VIII

tis bessibus ac trientibus Brandenburgici, aut Lüneburgici axiomatis, vel saltem intermixtis, ne quidem partem grossorum creditor admittere coactus est. MAGNIF. H. T. RECTOR, DN. SIEGEL Corp. Iur. Camb. n. 4. p. 37. Part. I. KOENIGK Leipz. Wechsel-Ordn. §. XXII. not. 2. p. 61. Nec minus meminimus, mercatores Lipsienses data occasione arbitratos esse, inter solutionem collybisticam, aliamque, non esse distinguendum, sed in vniuersum appellatione, *derer guten groben im Ober-Saechsischen Creise gültigen Muntz-Sorten*, alias non contineri species, quam *gantze, halbe und viertel Kayser-Thaler, Chur-Saechsische, Brandenburgische und Lüneburgische Species-Thaler, ½ und ¼ Stücke, alte Franzoesische gantze Thaler, Gulden, und halbe Gulden*. Sicuti vero a solutione collybistica mercatorum Lipsiensium, ne quidem intuitu ipsorum, ad solutionem, alio ex contractu debitam, consequentia procedit, vti IDEM DN. SIEGEL d. l. n. 6. et KOENIGK d. l. n. 4. p. 62. obseruant, neque a consuetudine Lipsiensi, ad usum circuli Superioris Saxoniae, quoad ipsa negotia cambialia, argumentum ducere licet: ita rescriptum clementissimum d. dat. Dresd. d. 23. Septbr. 1683. laudati DN. SIEGELII Corp. iur. cambial. P. I. p. 70. et KOENIGKII Wechsel-Ordn. Append. Sub lit. G. p. 135. interfertum probat, thaleri sextantes ad nummos minores non referri, ibi: *so am Werth unter 4. Groschen*

schen seyn, idcirco ad numismata pertinentes *matria*, veluti ex conuentione Saxonico-Brandenburgico-Lüneburgica de ann. 1690. §. 1. in dict. THOMAN. *Aet. monet. P. II.* p. 366. adparet, eos, quoad bonitatem intrinsecam, cum bessibus, ac thaleri trientibus conuenire, nec non illos Scabini Lipsienses apud BARTH. *Hodeget. forens. C. III.* §. 2. lit. f. p. 511. edit. nou. ad nummos modi maioris retulerunt. Taceo leges Imperii et Saxoniae Eleitoralis antiquiores, quae solummodo semibazios, halbe Batzen, aliosque nummos exiguos, grossis viliores, in classem nummorum redegerunt *minorum vid.* Rec. Imp. d. ann. 1576. §. 76. Ordinat. monet. d. 1. Jul. 1542. d. 27. Mart. 1549. mandat. d. 22. Aug. 1688. Cod. Aug. T. II. p. 747. 751. 757. seq. Multo minus laudata mercatorum Lipsiensium opinio in negotiis, quae non sunt collybistica, et ne quidem mercatores concernunt, nummos aureos a *maiorum* classe numismatum remouere vallet. Quandoquidem iuri consentaneum est communi, si certa monetae species non sit expressa, a debitoris dependere arbitrio, an aurum pro argento, argentumue pro auro soluere malit. Quod probant clara Imperatoris verba in I. vn. C. d. argent. pret. quod thesaur. infert. ibi: *iubemus, vt pro argenti summa, quam quis thesauris fuerit il-laturus, inferendi auri accipiat facultatem, adsti-pulante argumento ordinationis monetalis de anno*

B

1559.

X

1559. §. n. ibi: *wass auf Gold verschrieben ist, dem soll hiemit nichts benommen seyn.* WEHNER *Obs.*
pract. verb. grobe Reichs-Mintze. COLER *d. proc.*
execut. P. I. c. 10. n. 15. KITZEL *de iur. monet.*
Cl. II. q. 2. S. 1. n. 23. Dum enim creditor nullum incurrit damnum, accipit, quod sibi debetur, ac minus iuste, sibi aliud solui pro alio, conqueritur. *add. I. 65. §. 1. d. V. O. DN. DE BERGER Econ. iur. Lib. III. tit. 2. §. 4. not. 2.* Quibus iuribus in Saxonia Superiori derogatum esse, frustra asserueris. Ecquis non videt, magna si debeatur summa, auri solutionem accipienti esse commodiorem, quia in numerando et expendendo non multum consumitur temporis, nec aurum tam est ponderosum, neque in vasis ac cistis tam amplum occupat locum, vti quidem argentum. Quippe quae incommoda, ex argenti solutione resultantia, reliquis accensentur caustis, ob quas creditor a necessitate, monetam accipiendi *minorem*, absoluuntur. CARPZOV *P. II. C. 29. d. 3. n. 3. seq.* Minime omnium citatum mercatorum Lipsiensium arbitrium in vltima voluntate explicanda locum habet. Etsi enim testatoris mens, an alimenta legatario nummis tam aureis, quam argenteis, soluenda sint, verbis non sit expressa: quod si tamen aurei, quinque thaleros aestimati, tempore conditi testamenti vsu venerint in nominatis regionibus, eos formula, *derer guten groben im Ober-Saechsischen Creise gülti-*

gültigen Münz-Sorten, secundum testatoris voluntatem contineri, minus recte dubitaueris, siue ex usu et consuetudine testatoris interpretatio capi possit, siue non. Quod si capi non possit, neque ex more regionis, vnde fuit testator, neque ex contextu testamenti possit apparere, nummi vero indistincte sint legati; exiguiores legati censemur.

l. 75. d. legat. 3. ibique BRVNNEmann. CARPZOV P. II. C. 29. d. 10. n. 8. KOEPPEn Qn. XXVI.

n. 9. WEHNER Obs. prae&t. verb. Goldgülden. Esto igitur, besses, trientes, vt et thaleri sextantes, secundum conuentionem Saxonico-Brandenburgico-Lüneburgicam de anno 1690. cufos, spectata bonitate intrinseca, nec non comparata bonitate extrinseca, aureis supra dictis meliores esse in solutione, nihilominus, quia nummi indistincte legati, istique aurei, quinque thaleros aestimati, secundum morem regionis, sunt *gute grobe gültige Münz-Sorten*, legatarius eos recusare nequit. Etenim magis in legandis rebus suis, quam haeredibus onerandis, faciliiores sunt voluntates.

l. 67. §. 28. d. legat. 2. Qua de re in dubio praesumtio vincit, quod testator haeredem nimis grauare noluerit.

l. 14. in fin. l. 39. §. 6. d. legat. 1. arg. l. 54. mandat.

l. 31. d. aur. et arg. legat. CARPZOV Dec. CCC. n. 28. Quod multo magis locum habet, si haec interpretatio cum usu et consuetudine testatoris conueniat. Quandoquidem talis mos consuetudini

XII

regionis, aliisque omnibus praefertur. l. 50. §. vlt.
d. legat. i. SICHARDVS ad l. i. C. d. impub. et al. substitut. n. 3. MASCARD d. probat. Vol. IV. concl.
1423. n. 13. MANTICA d. coniect. vlt. volunt. L. III.
tit. 9. L. VI. tit. 9. n. 7. Iam supponas, testatorem viuum, quando locaria similesue stipulatus est praestationes, in contractibus suis formula vti consueuisse, qua debitorem obligauit ad solutionem *in guten groben im Ober-Saechsischen Creise gültigen Mintz-Sorten*, deinde, facta a debitoribus solutione, promiscue dictos nummos aureos, secundum valorem quinque thalerorum, immo grossos, sine augmento, *agio*, ac sine protestatione accepisse, eaque omnia esse probata. Haec consuetudo profecto efficit, ut eadem formulae, in testamento usurpatae, significatio esse censeatur, et, quamvis grossi vulgo *minori* adnumerentur monetae, nihilominus secundum usum testatoris, moremque loquendi ipsi familiarem, pro moneta *maiori*, sicque multo magis aurei, habeantur. Quod luce meridiana clarius est, quando testator in contractibus suis formula usus est, *an lauter guten groben im Ober-Saechsischen Creise gültigen Mintz-Sorten, so, dass unter Groschen nichts angenommen werden soll;* item: *an lauter guten groben und gültigen gangbaren Mintz-Sorten, halb an Golde, und halb an Silber - Gelde, iedoch soll unter Groschen nichts angenommen werden.* Formula posterior insimul probat, testatorem

XIII

rem non tantum grossos accensuisse *probæ ac maiori*
monetae, sed et, si displiceret ipsi, totam summam
aurea solui moneta, quantitatem summae, moneta
soluendæ argentea, exprimere consueuisse. Secun-
dum quam consuetudinem, creditamque testatoris
voluntatem, non solum in solutione legatorum ali-
mentorum simplices grossi, utpote vicem *maio-*
ris monetae gerentes, sunt admittendi, verum et
iam grossi, qui tempore solutionis sunt in usu, lo-
cum inueniunt, tametsi minoris sint bonitatis, quam
grossi tempore testamenti existentes, qui vulgo, di-
stinctionis caussa, boni dicuntur. Quamuis enim
bonitatem monetae, quae tempore fuit, quo quis
testatur, regulariter deceat attendere, *K R V L L*
d. regal. monet. iur. C. V. in THOMAN. *Act. monet.*
P. I. p. 146. nihilominus legatum nummorum de
bonitate monetae, quae tempore est solutionis, ac-
cipiendum est, quoties haec testatoris voluntas ex
coniecturis adparet. *I. fin. d. legat. 2. l. penult. d. in-*
strum. legat. l. 28. quand. dies leg. ced. l. 7. d. aur.
vel arg. legat. ibi: si aliud comprehensum non esset.
FABER ad Cod. L. VIII. tit. 30. d. 15. CARPZOV
P. II. C. 28. d. 8. n. 16. Quia testator alimenta le-
gauit, singulis soluenda annis, manifestum est,
ipsum de nummis, quovis solutionis die valenti-
bus, loqui. In iis enim, quae tempus habent ad-
iunctum, non praesens, sed futurum inspiciendum,
secundum quod decidendum est negotium. *I. 21.*

B 3

quand.

XIV

quand. dies legat. ced. l. 44. §. 1. d. obligat. et act. l. 213. d. V. S. Quapropter salario, aliaeque similes praestationes annuae, moneta currente et visuali, secundum valorem extrinsecum, qui tempore est solutionis, sunt soluenda. KITZEL d. Iur. monet. Clas. III. qu. 1. n. 59. MOLIN. d. usur. qu. 109. n. 89. seqq. MENOCH Vol. I. cons. 49. n. 23. seq. Quod de praestationibus annuis, quae ultima ex voluntate debentur, in primis afferendum est. FACHIN. L. II. Controu. c. 10. Nam in singulos legatum est annos: hocque legatum non unum, sed plura esse, constat. l. 10. quand. dies legat. ced. Vbi dies initio cuiusque anni, alteriusue termini a testatore expressi, cedit. l. 12. §. 1. Eod. MENCKEN ad Pand. L. XXX. tit. 1. §. 1. SCHILTER Exerc. XXXIX. §. 64. Mens igitur testatoris ad singulos annos, quibus legatum praestari voluit, eo magis videtur directa, quo minus is haeredem grauare voluisse presumitur. d. l. 14. in fin. l. 39. §. 6. d. legat. 1. Quae testatoris voluntas eo fortiori nititur fundamento, sicuti viuo testatore similes grossi minoris bonitatis, quales postea ceduntur, cum grossis bonitatis maioris, in usu fuerunt, quos testator, haud obstante clausula supra dicta, voluntaria acceptatione adprobavit, vel quoque ipse met, ad legatarium alendum, impendi curauit. Nam in dubio alimenta, quae defunctus praestare solitus fuerat, legata censemur. l. pen. pr. d. alim. vel cibar. legat. Plane si legatarius post mor-

mortem testatoris talismodi nummos sine protestatione per plures accepit annos, vbi minimum tres anni sufficiunt, arg. l. 5. C. d. usur. iunct. l. i. C. d. fidic. conf. DN. DE BERGER E. D. F. Tit. L. Obj. 3. not. 3. ac in primis responsum Scabinorum Lipsiensium p. m. 1668. seq. haeredi ius est quaesitum, prohibens, ne sequentibus annis meliores nummos soluere cogatur. Et quando legatarius, talismodi nummos accipiens, in apocha confessus est, se gute grobe gültige Mintz-Sorten accepisse, tunc spatio triennali nequidem opus est, sed, ob intentionem ipsius, unico eiusmodi actu sat manifeste declaratam, mox certus soluendi modus per obseruantiam introductus est, KITZEL d. iur. monet. Claff. IV. qu. 2. Sect. 3. quippe quae diurnitatem temporis non requirit. TREVTLER V.I.D. 1. th. 9. lit. B. MEIER C. I. A. tit. d. LL. th. 44. BLVM. Proc. Cam. tit. II. n. 32.

His ita se habentibus, tres *Theologiae*, tres *Iurium*, tres *Medicinae* studiosi, indigentiores, qui omnes ac singuli generosissimi fundatoris, per illustris Domini RUDOLPHI FERDINANDI, liberi Baronis de SILVERSTEIN et PILNICKAV, beneficio aluntur, de quibus in qualibet Facultate aliis CL. aliis LXXX. aliis L. Imperialium stipendio quotannis gaudet, non immerito moneta currente et visuali, etiamsi forte sors in numeris moduli consistat melioris, contenti viuant. Lex exigit

QK 3904

XVI

exigit gratitudinis, vt memoria tanti autoris beneficij in perpetuum colatur. Ad quam celebrandam futuro die Mercurii, qui RVDOLPHO sacer est, nunc tres alumni, isto recreati beneficio, in auditorio ICTORUM perorabunt, nimirum

ERNESTVS SAMVEL TZSCHIRICH,

BELGERAN. MISN.

THEOLOL. STVD.

de prouidentia Dei hominum fata dirigente.

ERNESTVS FRIDERICVS HAVSSLEVTNER,

PLESNA-SILES.

L.L. STVD.

de eo, an ICTus addiscere debeat medicinam.

CHRISTOPH. GOTTLIEB TRAVTMANN,

LAVBA - LVSATVS.

MEDICIN. BACCALAVREVS


de partu plantarum viuiparo atque ouiparo, animali analogo.

Quapropter RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, vtriusque reipublicae Proceres, Generosissimos ac nobilissimos cines, oratoribus vt adesse ne dedignantur, perofaciose inuitamus. P. P. Lipsiae ipso Festo Paschat. ann. CICOCCLIV.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA

(X2313731)

m.c



de soluzione in grande in Ober-Rheiffenbach
gültigem Maury Rossm.
QK.178.

A D

MEMORIAM ANNIVERSARIAM
VIRI PERILLVSTRIS
DOMINI
RVDOLPHI FERDINANDI
LIBERI BARONIS
DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV
HAEREDITARII IN KLEIN - EILA CRASCHEN
PAVSEN DAVBER BVCHWALDE ET BARG
D. XVII. APR. A. R. S. CIOIOCCCLIV
H O R. X. A N T E M E R.
IN AUDITORIO IVRISCONSULTORVM
CELEBRANDAM
RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM
ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES
GENEROSSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES
PER OFFICIOSE INVITANT
TRIVM SVPERIORVM FACVLATATVM
DECANI, SENIORES, RELIQVIQE ASSESSORES

